

soliti ac infreqventes in naturâ rerum effectus aut phænomena, quæ in aëre etiam Parelus est, conspiciuntur, illa, inquit, semper vel plerumque ex admirabili nexu, quò divinæ providentiæ junguntur, ad aliquid significandum dirigi. Nam duo Providentiæ divinæ supponere docent, *ordinationem*, & *ordinis executionem*: quarum illa virtutum *cognoscitivam*, hæc *operationem* respicit. Cùm autem DEO infinita ad ordinandum sapientia, & omnis termini experta ad operandum virtus, & potentia insit, sequi necessariò, eam omnium ordines, etiam Parelis, disponere. Hunc verò per virtutes Solares veluti per naturales divinæ providentiæ executrices, i. e. causarum naturalium concursu, per quas ipse, ceu universalis rerum causa cooperatur, exsequi. Hinc licet à Natura propriè fiat Parelus, non ut naturæ sibi relictæ, sed ut dependentis à concursu Providentis omnium, schema aut phasma suscipi debere, existimant: atque, si notabiles illud secutos esse eventus postea comperiamus, eos in causis suis jam prævisos fuisse, juxta divini Archetypi incommutabiles rationes, naturæ connexas; dicique tamen non *miracula*, sed *mirabilia* oportere: *conf. Kirch. l. c. L. 8. Sect. 1. p. 43.*

§. 12. Quoad Ecclesiam, posse ex Parelis doctrinæ purioris depravationem, disfidia, & calamitates Ecclesiæ alias colligi autumant. Nam uti Sol doctrinæ Sanctæ puritatem, ejusdemque fideles Doctores ac assertores illis notat; ita vice versâ Spurious Soles adumbrare dicunt doctrinæ depravatores, qui sese *λύχνος κακομέγης καὶ φαινόντας* jactitant, quasi puritatem Evangelii omni studio ac pietate docerent, ac populum rudem de salute consequendâ sincerè informarent: hoc autem ipsò nihil aliud illos agere, quàm ut Parelis Soli *Justitiæ unico & catholico addant*, h. e. errores suos, mediatoresque alios, ac alia salutis media, præter Christum, ejusque salvificum meritum introducant, homines diabolo mancipent, propagatoresque divinæ & sanctissimæ doctrinæ vel dedecore & calumniis obscurent, vel è medio etiam penitus tollant. Sicut autem verus Sol fucatas illas atque evanescentes imagines vincit tandem: ita cœlestis quoque veritatis doctrinam, & qui hanc propugnant fortiter, discussis fugatisque omni-